



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta theologia moralis

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

§. I. Quid de Scientia Habituali?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004

§. I.

Quid de Scientia Habituali?

ANTEQUAM ad audiendas confessiones accedat, tria scire debet Confessarius: Primo, Quæ pertinent ad seipsum, quam scilicet habeat potestatem, in quos pœnitentes, ad quæ peccata, ad quos casus, & censuras, & quænam sit formula absolutionis? Quare scire debet saltem in confuso, quot sint casus, & censuræ, à quibus ob reservationem nequit ipse absolvere, de quibus agendum q. seq. Secundo, Scire debet, quæ pertinent ad Pœnitentem, quo scilicet examine, dolore, ac proposito debeat esse dispositus, qua integritate confessionem instituire debeat, quam pœnitentiam pro qualitate peccatorum, & personæ subire debeat, de quibus actum est disp. anteced. Tertio, Scire debet, quæ pertinent ad ipsa peccata, quænam scilicet habent onus restitutionis, aut satisfactionis parti, denunciationis, aut alterius obligationis; quænam ex se sint mortalia, quænam venialia, unde discerni possint eorum species, & circumstantiæ mutantem speciem, de quibus partim actum est etiam disput. anteced. partim agendum infra.

Quæres primo, An talium scientia sit in Confessario requisita tum ad licite, tum ad valide absolvendum?

Respondeo, Requiritur tantum ad licite absolvendum, dummodo sciat formam essentialem absolutionis, quia valor Sacramenti satis habetur, si ponatur à pœnitente materia proxima, & à Confessario forma cum debita intentione; & ad hoc sufficit, si Confessarius sciat formam essentialem, & peccatum sub ratione saltem confusa peccati, ut patet in articulo mortis, in quo quilibet indoctus Sacerdos moribundum valide absolvit: Suar. d. 28. f. 2. n. 12. & alii communiter contra Boss. putantem, invalide absolvere, qui ignorat distinguere inter mortale, & veniale. Si autem sit ita indoctus, ut ne sciat quidem rationem confusam peccati, invalide absolvit, quia non potest habere intentionem absolvendi, quod ne confuse quidem agnoscit: Tamb. c. 6, n. 6. addens, hunc casum esse difficilem, nisi is sit mente læsus.

Quæres secundo, Quanta debeat esse talis scientia in Confessario ad licite ministrandum hoc Sacramentum?

Respon-

Respondeo, Non requiri scientiam summam; imo hæc aliquando est minus utilis, quam scientia mediocris conjuncta cum naturali judicio, & praxi; quia, qui subtiliter vult omnia revocare ad apices theologiæ, sæpe seipsum, & pœnitentem implicat scrupulis, redditque odiosam Confessionem: Croix n. 1787. Satis ergo est scientia mediocris, qua ita in communi cognoscat, que frequenter in Confessionibus occurrunt, ut de aliis minus frequentibus saltem dubitare possit, sicque ea, vel ex libris, vel ex aliis Doctoribus sciscitari possit; quia secus nullus reperiretur aptus ad confessiones, cum nullus fere cognoscat omnes peccatorum rationes, & omnes casus difficiliore: Suarez d. 28. f. 2. Bon. & alii. Addunt etiam communiter Doctores, majorem scientiam requiri in Confessario pro Civitate, quam pro oppido, rure, &c. quia majores, & magis impliciti sunt ibi casus, quam hic; item majorem in Confessario Ecclesiasticorum, quam tantum laicorum, quia ibi requiritur scientia etiam suspensionum, irregularitatum, &c. Cæterum, si Confessarius ipse dubitet, se non habere scientiam suo muneri sufficientem, deponere potest dubium, dum videt se rite approbari ab Ordinario: Bon. Tamb. & alii. Addunt demum Gob. t. 7. n. 321. & alii communiter, Confessarium debere scire plures sententias oppositas, quæ tamen solide sint probabiles, circa materias morales, quia sæpe, ubi non agitur de valore Sacramenti, non potest, nec expedit dirigere pœnitentem secundum unicam sententiam; sicuti nec Medicus potest omnes unica methodo curare. Tenetur autem sequi eas sententias, quæ, salvo valore Sacramenti, sunt utiliores pœnitenti; &, si sic possit, debet sequi probabiliores, ad magis vitandum periculum erroris etiam materialis: quare, si pœnitens sit paratus, eas sequi debet etiam Confessarius; sin minus, poterit se accommodare opinioni illius, juxta dicenda quæst. 4.

Quæres tertio, An peccat pœnitens, qui de industria quærit Confessarium minus doctum?

Respondeo affirmative; quia talis Confessarius nequit ei utiliter mederi: Suarez d. 27. f. 2. Præp. Dian. Tambur. & alii; secus vero, si non de industria; nam præsumere semper debet, omnes Confessarios expositos sufficienter esse doctos: quare, nisi contrarium tibi constet, potes pro libito mutare Confessarium, si forte ob ver-

cundiam

cundiam nolis confiteri tuo ordinario, dummodo vere doleas, & proponas emendationem; quia uteris jure tuo; adeoque non est fraus ulla, aut dolus malus. Hinc monent communiter Doctores cum Bosc. d. 7. c. 7. n. 172. Confessarios non debere ita arctare pœnitentem, ut sibi tantum confiteatur; hoc enim esset tyrannice sibi usurpare libertatem à Christo omnibus pœnitentibus exhibitam, inquit Sanchez; quare, etsi sit valde expediens semper uni confiteri, tamen relinquenda est talis libertas, ne detur occasio sacrilegii; cum infirmum pœnitentem sæpe pudeat aliquid fateri suo ordinario, ne bonam æstimationem apud eum perdat.

§. II.

Quid de Scientia actuali?

SCIENTIAM actualem voco, quam habere debet Confessarius hic & nunc ex ipso pœnitente, audiendo ejus confessionem; quæ scientia consistit in attentione ad peccata, quæ affert pœnitens, & in judicio, quod de his ferre debet ipse Confessarius. Hinc

Dico primo: Peccat Confessarius, si audiendo confessionem non attendat ad peccata pœnitentis: Doctores communiter cum Suar. d. 28. s. 2. Ratio est, quia debet ferre sententiam per modum judicii, adeoque cum cognitione causæ: ergo debet, quantum moraliter fieri potest, ad omnia peccata pœnitentis attendere: uti debet pœnitens omnia, & singula ei dicere: peccat ergo, si eum absolvit, cujus peccata ob negligentiam non satis intellexerit; valide tamen absolvit, si propter somnum, aut aliorum cantum, aut animi distractionem, aliqua mortalia non intellexit; quæ tamen, si pœnitens postea sciat non fuisse tunc audita, tenetur iterum confiteri apud eundem, aut alium Confessarium ad integritatem confessionis servandam: Doctores communiter. Hinc specialiter cavere debet Confessarius, ne inter audiendum dormitet, ne distrahatur, ne omnino obliviscatur peccatorum, antequam injunxerit pœnitentiam. Si autem casu distrahatur, & ob notam sibi conscientiam pœnitentis præsumere possit id, quod non intellexit, esse quid leve, nec possit sine ejus molestia interrogare, potest tacere, & absolvere. Imo addit Gob. t. 7. n. 239.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Cc quod.